

CONCIO II.

SEPTEM MODICA BENE CONSIDERANDA.

I. Modicum temporis. — II. Modicum servitium quod impendimus Deo. — III. Modica vita a nobis deposita. — IV. Modica bona quæ fecimus. — V. Modicus electorum numerus. — VI. Modicum quod requiritur ad damnationem. — VII. Modicum quod requiritur ad parandam beatitudinem.

THEMA.

Quid est hoc, quod dicit nobis, modicum? Joan. XVI.

Credidere olim gentiles, futuræ serenitatis omen esse, si aves ter aut quater repetitam vocem ederent. De corvorum crocitu scribit Virg. l. 1. georg.

Tum liquidas corvi presso ter gutture voces,
Aut quater ingeminant.

Missa tamen hæc gentilium conjectura, dico verius, non sine portento aliquo in hodierno evangelio septies nobis occini vocem illam, *modicum*, quater a Christo Domino, rursum ter ab ejus discipulis. Quid igitur nobis portendit ea vox toties repetita? Sane nisi monitum salutis aliquod denuntiaret, tam crebro a Christo et discipulis repetita non fuisset. Jure igitur quærimus exemplo discipulorum: *Quid est hoc quod dicunt nobis modicum*, Christus et apostoli? Imprimis ista vox ter et quater repetita denuntiat venturam superata passionis Dominicæ tempestate serenitatem et lætitiā, Domino testante: *Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum*. Deinde, mea quidem sententia septem ista modica, septem nobis considerationes ingerunt per septem hebdomadæ dies animo volvendas, quoniam ad vitam recte instituendam magno opere nos excitant, mentisque serenitatem afferunt. Earum quatuor præsentem, tres reliquæ futuram vitam concernunt. Videtur ergo Joannes voluisse nobis præscribere hebdomadariam meditationem in septem istis modicis, quæ nunc videbimus.

I. Modicum temporis est. *Quid enim est vita nostra? Vapor ad modicum parens*, inquit S. Jacobus, c. IV. Considera enim tempus vitæ tuæ elapsam, quam cito id præterit? Priusquam aliquid egeris, vesper adest et finitur septimana, necdum tamen perfecisti quod cogitabas et forte vix cœpisti. Porro tempus futurum scito non fore tardius quam præteritum. Unde si in præterito tempore parum profecisti, timendum ne etiam parum proficias in futuro. In prima mansione itineris sui mansit Tobias juxta fluvium Tigrim, (qui ob celeritatem cursus a Tigride bestia nomen habet, teste Isidoro, l. XIII. c. XX.) *Et exivit, ut lavaret pedes suos*, ut dicitur Tob. VI. Sic primo septimanæ die contemplari nos decet

vitæ brevitatem, quæ instar Tigris velocissime dilabitur, et ibi lavare pedes nostros, affectus, inquam, a luto terreni amoris, quod in mundo contrahunt. Flumina ad mare currunt et inde revertuntur ut iterum fluant: sed non ita homo, qui est *spiritus vadens, et non rediens*, Psalm. LXXVII. Falcones Norvegiæ, quoniam dies illic breves sunt ad prædam magis industrii sunt et celerrime prædari dicuntur. Cum igitur sciamus breves esse dies nostros, cur non sedulo instamus bonis operationibus? Et mirum sane est, quod solertissimus ille falco diabolus magis sedulus sit in salute nostra impedienda, quam nos in procuranda. Quid enim ait de diabolo Joan. Apoc. XII. *Væ terræ et mari*, inquit, *quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet*. Hinc in agone magis tentat homines et circa finem mundi magis sæviet. Cur ergo non mature nobis prospicimus, et hostem nostrum præoccupamus, agendo penitentiam et bene operando, cum durat hoc temporis modicum? Sane David, quando advertit, quod surrexisset Philisthæus et veniens appropinquaret contra se: *Festinavit et cucurrit ad pugnam ex adverso Philisthæi*, ut dicitur 1. Regum XVII. *et misti manum in peram, et sublatus inde lapidem jecit et infixit fronti Philisthæi*. Ita nimirum præveniendus dæmon est; festinanter enim ad pugnam est currendum et mittenda in peram manus, id est, non cunctandum, sed manus adhibenda operi, et in fronte percutiendus dæmon, seu in initio, ne nos percutiat in calcaneos, seu in morte.

II. Quam modicum hoc die vel hebdomadæ servitium Deo impenderimus, et quantum impendere potuissemus. Imprimis enim debere saltem decimam diei partem servitio Dei dare; quia non minor est ratio cur decima pars frugum debeat Deo et non decima pars temporis. Hoc vero facere possemus audiendo missam, orando mane et vesperi, ante et post mensam, et agendo Deo gratias. Deinde, inspicere semel in die conscientiam, num sit commaculata, et quomodo purganda, quotidie meminisse Dei, et pro occasione ex ipsis creaturis eum laudare, cognoscere et admirari cum S. Antonio, necnon suspirare ad cœlestem patriam, meminisse mortis et gehennæ. Sed si interrogemur quid hac in re præstiterimus? Modicum respondere cogemur, si mentiri non velimus. Omne tempus impensum corpori vel mundo, transactum dormiendo, comedendo, bibendo, ludendo, deambulando, lucris inhiando: et quid his omnibus capimus? Audi S. August. in illud Ps. LXXXIX. Dies nostri sicut aranea meditabuntur: « Aranea, ait, textit tola

die, et labor grandis est, sed effectus nullus: sic et vita hominum, possessiones quærimus, divitias appetimus, procreamus filios, in regna sustollimur, et omnia facimus, et non intelligimus quod araneæ telam teximus, et interim æternæ felicitatis, ad quam creati et vocati sumus, obliviscimur. » Ita Heliogabalus imp. ait Lamprid. in ejus vita, jubebat sibi deferri millena pondo aranearum, proposito præmio; diciturque collegisse decem millia pondo, dicens hinc conjiciendum, quam magna esset Roma. Quam multi hodie sunt Heliogabali, quam multi aranearum venatores, qui non aliud quam opes et honores, hoc est, aranearum telas aucupantur! Sed ais: Mihi et familiæ vacandum est: non possum tempus impendere Dei servitio. Sed audi Salomonis judicium: jussit is infantem dividi per medium et dari unicuique mulieri partem, quod utraque contenderet de integro sibi dando, III. Reg. III. Contendit anima, pars hominis nobilior, totum sibi diem impendendum esse, quo salutis suæ consulat: contendit etiam corpus, pars debilior, diem sibi dandum, quod pluribus indigeat. Quid igitur factu opus? Dividatur infans seu modicum vitæ nostræ, et pars una detur animæ, altera vero corpori: quamquam possumus etiam totum dare animæ et Deo; si omnes actiones nostras ad Dei gloriam dirigere, et Deo offerre velimus.

III. Quam modica vitia, hoc die, hebdomadæ, mense, imo et anno deposuerimus. Eadem adhuc superbia, avaritia, inimicitia, ebrietatis studium, tepiditas, quæ fuit anni initio, vel ante etiam multos annos. *Quid est quod fuit?* ait Ecclesiastes, c. 1. *Ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? Ipsum quod faciendum est*. Idem dici de majori hominum parte potest. Quid faciunt hoc anno? Idem quod fecerunt ante annum. Quales sunt hoc anno? Quales fuerunt ante annum. Non recordamini, quid viderit cæcus ille apud Marcum VIII. a Domino nondum plene illuminatus? Quid enim vidit? *Videō homines*, inquit, *velut arbores ambulantes*. Et quomodo ambulant arbores? Num de loco moventur in locum, num progrediuntur? Minime gentium: sed quando ventis agitantur, multum quidem commoventur et videntur locum mutare, sed ne palmum quidem mutant: cras enim ibi reperiuntur, ubi hodie steterunt, quia radicem in terra defixam habent. Ita nimirum ambulat hominum major pars. Qui enim debent quotidie progredi in virtutibus, et unum vitium post alterum paulatim extirpare, nihil vel modicum proficiunt. Commoventur quidem interdum vento aliquo divini afflatus, ut quando in paschate confitentur et communicant, sed postea reperiuntur

eodem loco, quo prius consistebant, quia terræ affixi sunt, id est, amoris terreno, et pravis suis habitibus.

IV. Quam modica bona opera, die vel hebdomadæ elapsa feceris, quibus cœlum emas: quam modica reposueris apud Christum merita, quamque parum mercedis recepturus sis. Invenies enim plerosque dies bonis operibus vacuos, velut si in urnam conjicias manum et inter plurimas schedas vix unam scriptam extrahas, reliquas omnes vacuas. Cogita quam modicum in pauperes erogaris, quam modicum eis spiritualis eleemosynæ impenderis, quam modicum tibi ciborum vel commodorum subtraxeris, quam modicas animas docendo, corrigendo lucratus sis. Ita forsan invenies plurimum te perdidisse temporis. Et si Titus imp. quod aliquo die nemini beneficium impertiisset, dixit: *Amici, diem perdidisti*, quid tu dices, qui forte non tantum uno die, sed quam plurimis nihil fecisti boni? Sed quid ait apostolus II. Cor. IX? *Qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet*. Scito ergo modicum te messurum mercedis apud Deum, si modicum seminaveris honorum operum. Et quid ait Sapiens, Prov. XX? *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate et non dabitur illi*. Sic eveniet pigro in æstate alterius vitæ, qui hic ob modicam molestiam bene operari et terram corporis sui aratro penitentiae proscindere neglexerit. Hoc expertæ sunt fatuæ virgines oleum non præparantes; mendicare enim coactæ sunt, et non dabatur eis.

V. Quam modicus sit electorum numerus, quem Dominus pusillum gregem vocat Luc. XII. quia: *Multi vocati, pauci vero electi*, Matt. XXII. major enim hominum pars damnatur, magna ad purgatorium mittitur, modica est, quæ recta ad cœlum fertur. Cum Innocentius III. papa, sed tunc temporis adhuc cardinalis, inviseret quemdam eremitam sanctitæ celebrem, reperit eum humi jacentem, qui cum attrusus evigilaret: « Quam mirabilia, ait, et horribilia? Vidi enim animas in infernum descendentes tanta copia, quanta nives cadunt, cum multitudine sua obtenebrant aërem. In purgatorium vero descendebant instar nivis rarioris. In cœlum autem solos tres vidi ingressos. » Ii erant episcopus unus, Carthusianus unus, et una femina, quam nominabat. Refertur in l. de orig. Carthusian. Cura itaque quotidie ut vivas sicut pauci. Compara vitam et mores tuos cum vita et morbis aliorum, et si deprehenderit te vivere ut plures, merito timere deberes, neque obtrudas excusationem illam: Non sum ego solus in hoc vitio, faciunt id alii, non sum primus nec ultimus. Propterea enim dilatavit infernus animam

suam, et aperuit os suum absque ullo termino, ait Isaias, c. V. quia scilicet multi sum, qui ambulat per viam latam.

VI. Quam modicum requiratur ad damnationem, unum scilicet peccatum mortale, una fornicatio, una ebrietas, unum perjurium, una delectatio in cogitatione turpi. Ad purgatorium vero minima quæque sufficiunt, cogitatio inutilis, verbum otiosum, mendacium, iocostm, nisi hic expientur. Ita omnes patres et theologi docent, et docuerunt semper. Si enim nihil inquinatum intrabit in regnum caelorum, teste Joanne; si de omni verbo otioso reddenda est ratio Deo, teste Domino: si qui contemnit proximum suum et fatuum appellat, reus est gehennæ ignis, teste eodem, quomodo non vera sunt quæ diximus? Et si Scriptura et patribus attestantibus in altero sæculo tam caro computantur, quæ hic tam vilia æstimamus: cur tam facile delinquimus vel in minimis? Quæso enim te, si a multis fide dignis hominibus audires in vicina aliqua natione tantam esse rerum caritatem, ut una mensura vini venat quinquaginta, ducatis: una mensura cerevisiæ quinque ducatis: una libra carnis triginta florenis: unus capo centum, etc. tunc homo paucorum nummorum auderes ibi helluari, et vel cerevisia, ne dicam vino, te ingurgitare, et insuper compotatores invitare? Non recordaris servi illius evangelici, qui debebat domino suo decem millia talenta? Et quomodo tantum contraxit debitum, nisi quia in altero sæculo omnia magno computantur, et quia magni Domini magna dissipavit bona? Ideo jubetur venumdari cum uxore, liberis et omnibus suis. Si tam rigidas haberemus leges, ut qui mendacium profert, lingua mutiletur; qui rem occultam intuetur, oculis privetur; qui audit detractorem, auribus truncetur; qui alterum percusserit, igni adjudicetur; quis sibi non caveret? Atqui ignis purgatorii destinatus est omnibus peccatis venialibus. Unde refert quidam Carthusianus, Jacobus de paradiso, in lib. de peccatis mentalibus apud collect. speuli, de duobus fratribus religiosi mutuo sibi devinctissimis; quorum alter cum post obitum appareret mœstus et vili habitu sodali, rogatus de statu suo respondit: *Nemo credit, nemo credit, nemo credit, quam districte judicat Deus, et quam severe punit.* Quo dicto disparuit, et sodalem magno timore percussum reliquit, nobis utique in cautelam. Miserrimus itaque homo, qui etiam cum venialiter tantum peccat, tot ligna comportat ad sui ustionem, quot peccata facit, nisi ea hic deleat. Quam ergo seduli esse deberemus ad expianda etiam venialia per frequentationem missæ, aspersionem aquæ benedictæ,unctionem, pectoris, indulgentiarum usum

etc. quantum vigilare, ne vel modicum peccatum committeremus.

VII. Quam modicum requirat a te Deus pro gloria quam vult dare. Amorem enim solummodo exigit, qui facilis est et omnia faciliat. Virtus etiam secundum naturam est, adeoque facilius quam peccatum, quod contra naturam est. Majora et molestiora exigit diabolus ad damnationem et plures faciunt sumptus, tolerant molestias et dolores mali ad comparandam perditionem, quam boni ad salutem. Unde Sap. V. dicunt: *Lassati sumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles.*

Etenim via superborum est montosa, quia honores sunt montes, qui sine labore non scanduntur. Via avarum spinosa, quia divitiæ sunt spinæ undique pungentes. Via libidosorum lutosa, quia fœde inquinat. Via invidorum tenebrosa, quia invidia excæcat. Via gulosorum sumptuosa, quia magno constat. Via iracundorum tumultuosa, quia pacem turbat. Via pigrorum tædiosa, quia in terram deprimit. Quam vere itaque dicunt impii: *Ambulavimus vias difficiles?* Et quæ tandem hujus ambulationis merces? Eadem quæ equorum et asinorum onera portantium. Ubi enim ad viæ terminum venerint, exonerantur mercibus, quas gestarunt, dorsa deinde pressuris exulcerata sentiunt, sicque misera animalia in stabulum detruduntur. Ita prorsus impii postquam ambularunt vias difficiles, ad finem vitæ despoliantur omnibus bonis suis, conscientias suas deprehendunt dire vulneratas, ad extremum abripiuntur in gehennæ stabulum. At vero qui Deo serviunt, fatentur sibi viam cæli planam fieri et facilem, plusque consolationis se experiri quam laboris, id quod ex illorum testimonio scribit Ecclesiasticus, c. LI. *Videte oculis vestris quia modicum laboravi, et inveni mihi multam requiem.* Hæc sunt modica, quæ mihi videbantur bene expendenda, quod sperem eorum considerationem, magnam animo nostro tranquillitatem allaturam.

CONCIO III.

VOCULA, MODICUM, QUAM VARIE CONSOLETUR JUSTOS, TERREAT MALOS.

I. In reproborum exaltatione et prosperitate. — II. In malorum prævaricatione. — III. In hæresum infestatione. — IV. In tribulationibus. — V. In paupertate. — VI. In peregrinatione nostra. — VII. In mortis agone.

THEMA.

Iterum modicum, et videbitis me. Joan. XVI.

Quod prædixit Deus per Isaiam, c. ult. Quo-

modo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, id fecit in hodierno evangelio Christus, cur de suo discessu tristes consolatus est discipulos et simul etiam nos, dicens: *Modicum, et non videbitis me, et iterum modicum, et videbitis me.* Quemadmodum enim mater, cum a liberis recedit, consolando eos dicit: Bono animo estote, mox ad vos redibo; cum quis eorum ægrotat: Bono animo esto, brevi convalesces; cum iter agit una cum ipsis, fessos alloquitur: Bono animo estote, paulo post ad terminum veniemus, etc. ita agit cum electis suis Deus. Et quidem vocula illa *modicum*, uti septies nominatur in hodierno evangelio, ita septem etiam in rebus justos consolatur.

S. Francisci assidua hæc concio, brevis quidem, sed nervosa fuit: *Labor modicus, voluptas æterna: voluptas modica, pena perpetua: multorum vocatio, paucorum electio, omnium retributio.* Et hanc concionem ex hodierno evangelio videtur desumpsisse, in quo modicum illud partim animat, et consolatur justos: partim increpat, et terret malos. Brevissima concio, *modicum*, est: sed efficax et bona. Quoniam igitur tales optantur conciones, breves scilicet et bonæ, talem nunc demus.

I. Modicum consolatur justos. Primo, in malorum hominum exaltatione et prosperitate. Hæc enim cum intuentur boni, quomodo non tentatione et indignatione aliqua tanguntur? Sed consolatur eos illud *modicum*, dum intelligunt brevi duraturam illorum prosperitatem. Ejusmodi tentationem suam aperuit David, Ps. LXXII. eum ait: *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei*, id est, pene corruerunt in terram, adeoque etiam in dubietatem circa Dei providentiam: *Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.* Sed quæ ista pax? *Quia non est respectus morti eorum*, id est, non cogitant de morte; vel ut alii vertunt, *non sunt vincula in morte ipsorum*, quasi dicat: Non trahuntur ad mortem variis morborum vinculis, ut accidit justis, sed diu et sani vivunt: *Et firmamentum in plaga eorum*, id est, non est stabilitas in plagis eorum, quia mox habent medicos et remedia sua quibus curentur: *In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur*, id est, propter abundantiam suam non habent necesse conflictari cum inopia, laboribus, angoribus, etc. quibus alii homines communiter flagellantur. Sed qui tandem ad hæc propheta? *Verumtamen propter dolos posuisti eos*, (in Hebraico habetur *in lubrico posuisti eos*) *dejecisti eos dum allevarentur.* Repentinam hanc mutationem prædicit illis idem David, Ps. LXXXII. dicens: *Deus meus, pone illos ut rotam et sicut stipulam ante faciem venti.* Rota enim quem evehit, mox deprimit. Sic et stipula a

vento elevata ab eodem mox deprimitur. Denique et Job. XXIV. cum ait: *Elevati sunt ad modicum.* Sesostres rex Ægyptiorum quod multas nationes sibi subjecisset in arrogantiam sublatus, curru ex auro lapidibusque pellucidis et pretiosis constructo vehi solebat, qui a quatuor regibus ab ipso devictis trahebatur. Horum unus sæpe respiciens, rotam, quæolvebatur, aspicebat. Causam a Sesostre rogatus respondit: « Intuens rotæ volubilitatem cum stupore eam admiror, in qua summa cito fiunt ima: et cogito fortunæ instabilitatem alias excelsa humilantem, alias humilia exaltantem. » Hac sententia motus Sesostres noluit deinceps a regibus trahi. Hæc eadem parabola per legatum recensita movit imp. Mauritius Chalianum regem avarum, ut pacem cum Romanis faceret, Niceph. I. XVIII. c. XXXIX. Pauci nunc potentes hanc rotam contemplantur; pauci intelligunt hoc fortunæ modico impios rotari; sed: *Cum perierint peccatores videbis*, inquit David, Ps. XXXVI. *Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani. Et transivi, et ecce non erat: quæsi vi eum, et non est inventus locus ejus.* Sic event hospiti illi D. Ambrosii Mediolano Romam euntis. Is enim cum affirmasset nunquam se adversam fortunam passum, vir sanctus ad suos comites conversus: « Propere hinc discedamus, inquit, ne divina vindicta nos hic obruat. Deus enim non moratur in his ædibus. » Cumque paulum cum suis progressus esset terra dehiscentes hospitem istum cum domo et familia sua absorpsit, Paulin. in vita Ambr. Quam vere dixit de his Job, c. XXI. *Ducunt in bonis die, suos, et in puncto ad inferna descendunt.*

II. In malorum prævaricatione. Cum enim videmus eos liberrime delinquere, et omnia mala agere, nec tamen interim puniri, quia nimirum Deus differt punitionem; magistratus sæpe non vult aut non potest punire: grave est hoc bonis. Unde David, Ps. CXVIII. dixit: *Vidi prævaricantes et tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt: et Habacuc, c. I. Quare respicis contemptores et taces, conculcantes impio justiore se? Et facies homines quasi pisces maris, et quasi reptilia non habentia ducem?* Sed consolatur nos in hac re, *modicum* illud, quo malorum perversitas durabit. Unde ad querelam Habacuc propositam respondet Deus ibidem, c. II. *Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet et non tardabit;* seu ut apostolus eum ad Hebr. X. citat: *Adhuc modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet, et non tardabit;* ad litteram quidem Cyrus rex qui liberavit Judæos a servitute Babilonica; allegorice vero Christus, qui liberabit omnes oppressos a jugo impiorum. Ita gemebant Christiani sub imperio Juliani et Valentis, qui Chris-

tianis et dira inferebant, et extrema minabantur: et audivit Deus gemitus eorum; brevi enim utrumque exterminavit, et in bello misere peremit. Ita gemebat Fridericus ille canonicus ob sceleratam vitam Udonis episcopi sui: et brevi secutum est Udonis supplicium, ut videre est in historia illa notissima. Ita etiam gemebant, Apoc. VI. subtus altare animæ interfectorum propter verbum Dei clamantes: *Usquequo, Domine, sanctus et verus, non iudicas, et non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra?* Et dictum est illis ut requiescerent adhuc modicum tempus, donec complerentur conservi eorum, etc.

III. In hæresum oppugnatione. Cum enim intuemur mala, quæ Ecclesiæ inferunt hæretici, cum videmus ab illis lacerari vestem Christi, Ecclesiam, uti vidit S. Petrus episcopus Alexandrinus, cum videmus mulos illos calcitrantes contra altare, ut vidit S. Antonius, cum videmus eorum perfidiam, et odium quo nos prosequuntur, merito ingemiscimus; sed consolatur nos id *modicum*, quo durabunt hæreses. De his dixisse Davidem arbitror, Psal. LVII. *Ad nihilum devenient, sicut aqua decurrens*. In quem locum S. Augustinus ait: « Non vos terreant, fratres, quidem fluvii, qui dicuntur torrentes; hiemantibus aquis implentur, nolite timere: post paululum transit, decurrit aqua, ad tempus perstrepat, mox cessabit, diu stare non possunt: multæ hæreses jam emortuæ sunt. Cucurrerunt in rivis suis quantum potuerunt decurrere, siccati sunt rivi, vix eorum memoria reperitur, vel quia fuerint: spernentur tamquam aqua decurrens. » Sic ille.

De iisdem etiam apostolus, II. ad Tim. c. III. ait: *Ultra non proficient. Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit* (Janis videlicet et Mambris magorum Pharaonis, qui restiterunt Moysi.) Quo loco apostolus loquitur de Simone et Gnosticis, hæreticis sui temporis, ut scribit Primasius. Idem autem evenit aliis hæresibus, Photini, Nestorii, Sabellii, Manetis, Arii, Pelagii, ceterorumque omnium. Ex quibus Manes Manichæorum parens cum filium regis Persarum, a morbo se curaturum promisisset, et contra occidisset, comprehensus et ad regem adductus est. Cui rex exprobravit mendacium et fugam; eumque excoriari iussit, et corpus quidem bestiis dari, cutem vero quæ tantum nebulonem continebat, velut utrem ante portas suspendi, Cyrill. Jerosol. catech. VI. Arius vero cum Alexander episcopus Constant. urgeretur ad recipiendum eum in communionem, precante Alexandro pro Arii exterminio, in foedis locis viscera effundens extinctus est, Baron. anno 336. Consoletur ergo et nos

hoc *modicum*, quo durabunt hæreses nostri temporis. Videbimus sensim et brevi magis videbimus Lutheranismum et Calvinismum con-senescere et emori apud multos, apud alios in atheismum et politicisum desinere. Verissimum enim est proverbium Hebræorum: *Veritatem stabiles, mendacium debiles habere pedes*. Telæ araneorum sunt hæreses, quibus muscæ, id est, stolidi tantum capiuntur et tenentur, sed vespæ, id est, docti eas perrumpunt, ut scribit Nazianz. in Heronis laudem. Et quemadmodum ejusmodi telæ cito dejiciuntur scopis, ita hæreses.

IV. In tribulationibus. Quales enim cumque illæ sint, *modicum* quoddam sunt, testante Deo per Isaiam, c. LIV. *Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te*: et S. Petro, ep. 1. c. 1. *In quo exultabitis modicum nunc, si oportet contristari in variis tentationibus*: et S. Athanasio, qui ab Alexandria præfecto crebris molestiis affectus et insidiis petitus, necessarios suos de ejusmodi procella alloquens: *Recedamus, inquit, ad tempus, nubecula est, quæ cito evanescet*, Socrat. I. III. hist. ecclesiast. c. XII. Multas ipse pertulit ejusmodi procellas, et sæpius in exilium actus, sæpius fugere coactus est: semper tamen cum honore et applausu omnium ad episcopatum suum revocatus et reductus est. Faber ferrarius juxta focum paratum habet scrobem aqua plenum, in quo ferrum ex igne eductum refrigerat: sic agit et nobiscum Deus. Ad punctum nos in modico derelinquit in igne tribulationis, ut sic ad nutum suum efformare quales vult, possit: sed cito inde extrahit, et aqua consolationis refrigerat. Unde Psal. LVI. dicit David in persona justorum: *Transivimus per ignem et aquam, et eduaxisti nos in refrigerium*. Si quis igitur onerosum habeat dominum, onerosam uxorem, vel maritum, si quis graviter decumbat, cogitet hoc *modicum*. Non semper erit hiems; sed venit etiam æstas, quæ decorem arboribus quem hiems quidem abstulit, restituet cum fœnore.

V. In paupertate et rei domesticæ tenuitate: dicit enim David, Psal. XXXVI. *Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas*. Ratio est, quia qui modicum habet, plerumque modico etiam contentus est: inde non erit avarus, nec potest esse prodigus: non eget, nec gravatur aere alieno, neque retinet otiosas opes, unde vel in superbiam erigatur, vel ad luxuriam provocetur. Similis est sententia illa Sapientis, Proverb. XVII. *Melior est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum jurgio*. Ubi enim modica est substantia, ibi tranquillitas et quies; jurgia vero, curæ, lites, inimicitia in domibus civitum plerumque hospiti-

tantur. Non dissimilis est sententia S. Augustini, I. X. de hordis, c. IX. *Melior est modica amaritudo in faucibus, quam sempiternum tormentum in visceribus*. Exemplo esse potest Lazarus ille mendicus, qui modicam famem pertulit in faucibus; epulæ vero perpetuam sitim ac famem in tormentis. *Gaudet piscis*, inquit idem Aug. in I. de agone christiana, c. VII. *quando hamum non videns escam devorat: sed cum piscator eam adducere cæperit, viscera ejus torquentur*. Idem evenit epuloni illi, contrarium vero Lazaro.

VI. In labore peregrinationis nostræ. Multis enim gravis et molesta fit peregrinatio vitæ hujus, plurimis referta laboribus. Sic enim sanctus ille propheta Elias fugiens gladium Jezabelis, et videns diuturnas persecutiones suas: *Projecit se subter unam juniperum, et petivit animæ suæ ut moreretur dicens: Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam, neque enim melior sum quam patres mei*, III. Reg. XIX. Multi reperiuntur, qui id ipsum petunt cum jam senio se confectos, a mundos despectos, ærumnis circumdatos et laboribus pene confectos vident. Sed consoletur eos *modicum* illud, quod superest vitæ et itineris. Sic enim ait apostolus ad Hebr. X. *Adhuc modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet, et non tardabit*. B. Joannes Vischerus episcopus Roffensis, quod Henrico VIII. Anglorum regi primatum ecclesiasticum nollet tribuere, ad mortem condemnatus, cum jam prope ad supplicii locum accessisset, abjecto, cui senex innitebatur, baculo: *Eia, inquit, pedes facite officium vestrum, parum jam itineris restat*, Nicol. Sand. de schism. Angl. I. 1. Idipsum sibi quisque dicere potest, cum aliquo laboris vel sanctæ exercitationis tædio afficitur. Jacob certe interrogatus a Pharaone de ætate, respondit: *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parvi et mali*, Gen. XLVII. Parvi seu pauci, si nimirum comparentur cum annis patrum ejus. Quam pauci ergo sunt dies nostri, qui vix dimidium attingunt ætatis Jacobi?

Viderint et mali, quam modica sit eorum peregrinatio, quam præceps eis immineat externium. Babyloni certe dicitur, Jerem. LI. *Venit finis tuus pedalis præcisionis tuæ*, q. d. modica vitæ mensura, pede non longior, tibi constituta est, qua impleta cum te in medio cursu et fore esse existimabis, subito præscindetur tibi velut a texente vita tua.

VII. In mortis angustia et agone. Sic se animabat S. Hilarion abbas, cum vi morbi extremo pene spiritu conflictaretur: *Egredere quid times? Egredere, animam meam, quid dubitas? Septuaginta prope annis servisti Christo et mortem times?* Atque in his verbis spiritum exhalavit. Cum aliquando Sapore Persarum rex centum

episcopos, et presbyteros comprehendi et occidi jussisset, inter illos senex quidam nomine Aninas, cum ad occisionem præpararetur, vehementius tremebat. Id videns Pusices regis ædilis sic eum affatus est: *O senex modicum claude oculos, et expecta gladium animosæ, quia mox videbis magnum Dei lumen*, Niceph. I. VIII. cap. XXXVI. Cogitent hoc et ii, qui bene sibi conscii cum morte conflictantur. *Quanta est dignitas et securitas*, inquit S. Aug. serm. de S. Laurentio, in diversis, *exire hinc lætum, exire inter angustias et pressuras gloriosum, claudere in momento oculos, quibus mundus videtur, aperire eos statim ut Deus videatur, etc.*

CONCIO IV.

QUAM MODICUM SIT GAUDIUM MALORUM IN HOC SÆCULO.

I. Modicum est in seipso spectatum. — II. Comparatione solidorum gaudiorum. — III. Ratione tristitiæ perpetuæ. — IV. Respectu brevis durationis. — V. Ratione tristitiæ secuturæ.

THEMA.

Quid est hoc quod dicit nobis modicum? Joann. XVI.

Scribit Herodotus, Solonem unum ex septem Græcorum sapientibus aliquando habito cum Cræso Lydiæ rege colloquio, eum sedulo admonuisse fugacitatis et inconstantia quæ est in bonis temporalibus, et statu prosperitatis: uti proinde non nimium confideret in opibus ac potentia sua. Hoc tamen documentum cum surda aure bibisset Cræsus, tandem bello victus et captus a Cyro Persarum rege rogo est impositus, igne absumendus. Ibi tum Cræsus, Solonis sui meminisse et exclamare: *O Solon, Solon*. Quam vocem cum audisset Cyrus, causam sciscitatus est. Retulit ergo Cræsus, quæ sibi aliquando documenta dedisset Solon, quæ quidem tunc contempsisset, nunc vero nimium vero et fidelia fuisse agnoscere, de inconstantia videlicet et celeri fuga humanæ prosperitatis, potentia et opum. Quo audito permotus etiam ipse Cyrus, considerans quod et ipsum hic sermo tangeret, Cræsum liberavit. Hoc idem documentum insinuat nobis Christus in hodierno evangelio dum sæpius nobis repetit vocem illam *modicum*. Quid enim hac voce aliud significat, quam omnem mundi pompam, splendorem et prosperitatem esse unum *modicum*? Et tamen quam multi sunt, qui instar Cræsi istud non advertunt? Quod enim discipuli intelligere noluerunt in hodierno evangelio, quod nimirum sit illud *modicum*, hoc etiam intelligere nolunt mundi sectatores. Predicamus enim et ad nauseam usque clamamus *modicum* esse hujus mundi gaudium, modicam pompam, mo-